

02 H 791





M. 2. 1775

DE
NECESSARIA
OPHTHALMIAE
THERAPIA INTERNA.

CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,

FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ET H. T. DECANO,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

A. D. XXVII. M. SEPT. CIOCCCLXXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISSERTET

AUCTOR

MEINHARDVS WYCHERS.

EMDA FRISO-ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOANN. CHRIST. HENDELII.





P A T R I S V O O P T I M O ,

H A N C D I S S E R T A T I O N E M I N A U G V R A L E M

D. D. D.

F I L I V S O B S E Q V E N T I S S I M V S .

A V C T O R .



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1903

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO





DE
NECESSARIA
OPHTHALMIAE
THERAPIA INTERNA.

§. I.

Quemadmodum in dubium vocari nequit, chirurgiam inter et therapiam strictum intercedere vinculum, mutuaque officia praestare debere et medicum et chirurgum, dum aegritudines, medici operam potissimum desiderantes, non minus chirurgi auxilium simul poscunt, et contra, vt externa medicina cum interna omnino coniungenda sit; ita profecto idem obtinet ratione ophthalmiae, quod quidem in amicissimi therapiae et chirurgiae vinculi testimonium comprobandi animus est. Vt autem haec B. L. aequi bonique consulat, est, quod etiam arque etiam rogo.

§. II.

§. II.

Probatur, necessariam esse ophthalmiae therapiam internam, incumbere omnino videtur, vt, postquam de ophthalmiae notione nulla dubitatio supereft, eius species, tum causas, eruatur, vt exinde methodus medendi facilius patefiat.

Quare statim subiungo *ophthalmiae* notionem, qua intelligo oculi inflammationem, designatam per oculi dolorem, ruborem, faepe tumorem, lacrimationem, lucis intolerantiam, febrim, motusue saltem febriles.

§. III.

Tamquam ophthalmiae species considerari debent *ophthalmitis* (VOGELIIA) et *chemosis*.

Ophthalmitis, *phlegmone oculi*, est inflammatio oculi, quae adligit interiores oculi membranas et praecipue choroideam. Stipatur dolore intolerabili oculi interioris, dolore capitis, potissimum in latere adfecto, vigilia, delirio, pupillae constrictione, lucis intolerantia, lacrimarum profusione, subsequente plerumque hypopio.

Chemosis est inflammatio oculi, externarum tunicae adnatae et albugineae, quae rubet et intumescit, vt supra corneam feratur.

§. IV.

Differentiae ophthalmiae *essentiales* iam enarrandae erunt, vt deinde euidentius constet, medicinam internam nequaquam negligi posse in ophthalmiae curatione.

A.

a) prael. de cogn. et cur. morb. §. 173.

- A. Prima ophthalmiae species *neruosa* est, eademque, dum iam mittitur breuem et leuiorem saepe, hypochondriacam et hysteri-
cam, *periodica*, non paucis a) visa. Dolor oculi atrox, lacrimatio, pulsus celeres, fortes, fitis vrgens, insultus tertianus, quartanus, quotidianus.
- B. Secunda ophthalmiae species *putrida* est, eaque tum *simplex*, a RIGLER b) obseruata, tum *biliosa*, STRACKIO c) visa, vbi oculi rosea tela obtecti videbantur.
- C. Tertiam speciem ficit *ophthalmia saburralis*, seu *biliosa*, saepe obseruata d), huiusque varietas *catarrhalis biliosa*, quam viderunt alii e).

§. V.

- D. Quartam speciem offert ophthalmia *pletborica*, seu *sanguinea*, vel *humida*, vel *secca*. In illa dolores oculi sunt lancinantes, rubedo interioris oculi, cum impotentia palpebras diducendi, quae tument circa tarfos, lacrimae, genas exoriantes copiose

a) MORTON pyret. I. c. 9. SENAC. de febr. I. 2. c. 2. p. 135. TORTI de febr. p. 426. ROSENSTEIN de m. inf. p. 415. v. SWIETEN Comm. T. II. p. 534. RIGLER const. epid. p. 136. E. N. C. dec. 3. a. 2. p. 330. Journ. de med. Sept. 1760. p. 228.

b) I. c. p. 7.

c) de morb. c. pet. aegr. 14. 15.

d) HIPPOCR. coac. 208. 225. aphor. IV. 17. GALEN. meth. med. I. 13. c. 2. HUXHAM op. T. I. p. 341. STOLL rat. med. T. II. p. 54. 101. 324. 333. 336.

e) WAGLER d. de morbo muc. p. 16. 18. STOLL I. c. T. II. p. 331.

se profluunt, maculae in cornea. In *haec* citra palpebrarum tumorem et lacrimarum profluxum, rubedo et pruritus in tarsis, palpebrarum agglutinatio nocturna, contingunt.

E. Quintam speciem, eandemque chronicam ut plurimum, aut reliquarum secundariam, sistit ophthalmia *purulenta* atque *ulcerosa*, quae varia nomina adepta est. *Trachoma* stipatur sensu grauitatis in palpebris, doloribus viuidis, pruritu assiduo, calore et rubore in canthis et coniunctiua, lippitudine glutinosa, et lacrimis erodentibus, palpebrarum agglutinatione nocturna. *Vnguis* seu *onyx*, abscessus intra corneae lamellas, agnoscitur macula subrotunda, alba, eminente, post chemo-
sin. Huc *argema*, *botrium*, *gerontoxum*, *epicauma*, *encauma*, *caeloma*, *elcidrion*, *corneae fistula*, quae *elcomatis*, seu vlceris corneae species sunt, sede et gradu diuersae. Huc et *hypopion*, ophthalmitis non raro sequela, seu puris collectio in camera oculi inter corneam, iridem, et lentem, enata post abscessum corneae, iridis, vuae, coronae ciliaris, aut per metastasin: nec raro ophthalmiam adhuc comitem habet. Cornea transparet, aut nebulosa, aut illaesa, aut elliptice prominens, segnior motus pupillae est, visus debilis, obscurus, nullus. Cornea ostendit pus album, flauescens. Huc denique etiam pertinet ophthalmia *a carie dentis*, aut *abscessu*, in sinibus maxillaribus latente.

§. VI.

F. Sextam speciem constituit ophthalmia *catarrhalis*, cuius aliquae sunt varietates. a) *Pannus* est turgor congeriei vasorum sanguiferorum supra album oculi et corneam expansorum. b) *serosa*, vulgaris, stipatur doloribus lancinantibus in globo oculi, infra et supra orbitam, periodicis, sub oculo pulsatio valida, lancinatio, distractio, succussio, manu etiam ob-

obseruabilis, cephalaea, coryza, rel. c) *grando* dicitur, si est lentescens, ab enatis in palpebrarum marginibus, rubris, duris, tumoribus, atheromatibus, rel. d) alia *vesicularis*, a vesiculis, grano mili aequalibus, in cornea, vel coniunctiua, exortis. e) *ex aquae humoris abundantia*: dolor nunc mitis, obtusus, circa oculi fundum, nunc grauior, hemicrania, odontalgia, stupore partium faciei, exophthalmia, mydriasi, visu successiue obscuro. f) *ex vitrei turgescentia*: dolor obtusus, vehemensue, notabilis visus imminutio, iris conuexa, pupilla dilatata parum mobilis, seu mydriasis.

§. VII.

G. Septimam speciem sinit ophthalmia *scorbutica*, obseruante LINDIO a): scorbuti signis indicata.

H. Octauam speciem facit ophthalmia *scabiosa*, notante S. YVES b). Est a suppressa scabie, trachoma, herpes, erysipelas palpebrarum et coniunctiuae, dolores oculi, cephalalgia, crustae furfuraceae in fronte, temporibus, naso.

I. Nonam speciem exhibet ophthalmia *venerea*. Eius duplex varietas est: altera c) enim gonorrhoeae venereae suppressae debetur: altera d) morbi inueterati comes est. Prior incipit

a) de scorb. p. 155.

b) de morb. ocul. p. 184.

c) BAGLIV. op. p. 202. LANGE de ophth. p. 75. CAMERAR. d. Tüb. 1734. Cel. SCHMUCKER chir. W. T. I. p. 319. PLENCK de morb. ven. p. 81.

d) ASTRUC de morb. ven. l. 4. c. 1. §. 3. c. 7. ANDRE de m. ven. p. 186.

B

a lippitudine sebacea, ex albo flavescente, vberima: tumor est scleroticae, et lior; dolor acris, lancinans, depressa quasi intra foveolam cornea obnubilata; coniunctiua veluti carnosae est, et duriuscula; circa corneam excrecentia quaedam est. Non remittit circa vesperam, et semper abit in chemo-fin. *Posterioris alia* est acuta, grauis, dolor acerbus, atrocior, quam in alia ophthalmia; *alia* est chronica, frequentior, dolores mitiores, oculi color atroruber, palpebrarum lior.

K. Decima species est ophthalmia *ab arbritide suppressa*, variis e) visa.

§. VIII.

L. Vndecimam speciem offert ophthalmia, chronica ut plurimum, *excrecentia varia insignis*. Huc *pterygium*, seu excrecentia ad canthum oculi, saepe maiorem, alae expansae figuram referens, versus corneam se extendens, imo totam interdum anteriorem bulbi faciem obtegens, modo membranae tenuioris, modo textus adiposi speciem referens. Eadem, si vasis sanguiferis varicosis referta est, *pannus* dicitur, sub sexta specie iam dictus, quod catarrhalis saepe fit.

Porro huc pertinent *bordeolum*, *grando*, *chalazium*, *sivo*, rel. quae ad palpebras enatas excrecentias sistunt inflammatorias.

M. Duodecimam speciem constituit ophthalmia *seropbulosa*, quae humida est, palpebrarum margines tument, lippitudine viscida, acri, obductae, coniunctiua rubra, subtumida, leucoma.

N.

e) MVS GRAVE de arthr. c. 17. SCHMUCKER l. c. T. I. p. 320.

N. Decimam tertiam speciem facit ophthalmia *cancrofa* varia, testibus DAVIEL, S. YVES. cap. 6. *Alia* fistit tumorem durum palpebrae superioris, cum vasis sanguineis, ad basin turgidis et colore plumbeo praeditis, doloribusque, per intervalla lancinantibus: *Alia* vasa varicosa, sanguinea et colore plumbeo, sine tumore et porro; *alia* porrum adhaerens cantho oculi nasali fistit, tectum vasis sanguineis, in fasciculos granulatim distinctis: tumor est pruriginosus, vt a scalptu aeger abstinere nequeat. rel.

O. Decimam quartam speciem ophthalmiae offert *metastatica*, aliasque taceam.

§. IX.

Tam necesse est, vt, species ophthalmiae dictas aestimando, videamus, maximam curationis partem non tam chirurgiam abfoluere, quam therapiam internam.

Igitur oportet, meminisse, curaturum debere causas rescindere, atque ideo potissimum prospicere causae proximae, tollendo causam morbi materialem, et dein profligando et formalem, nisi ipsa sponte cedat.

Quare conducit, et ophthalmiae causas, et indicationes generales eruere, tumque specierum curationem aestimare.

§. X.

Causa ophthalmiae *proxima* redit ad imminutam vim, humores per oculum, eiusque partes rite promouendi, enata ex vario morbo protopathico, eaque *acutam*, *actiuam*, producet, dum viribus ceterum integris iusto maior humorum copia ad partem defertur, *chronicam*, *passuam*, dum vires vere imminutae sunt sub copia humorum, sanitati etiam congrua.

Causa materialis erit morbus protopathicus varius, ut vidimus, enarrando species ophthalmiae, uti morbus nervosus, putridus, biliosus, saburra, catarrhus, rel.

Causa formalis est imminuta vis, humores per oculum motiendi.

Causae remotae innumerae, quae tum morbo protopathico vario occasionem praebent, tum causae formali, aut congeffiones ad oculos excitando, aut vim solidorum oculi infringendo, ut lectiones diuturnae, fumus, ventus, potissimum ad oculos admissi, rel.

§. XI.

Ophthalmiam curaturum oportet rescindere morbum protopathicum varium, eiusque causas remotas, deinde causae formali occurrere.

Quare curatio differt secundum species ophthalmiae dictas, ut iam ostendere conabor.

§. XIII.

Quod primo attinet ad primam ophthalmiae speciem, nervosam, eandemque maxime periodicam, quis est, quin concedat, hanc eadem methodo esse profligandam, atque alii morbi periodici? Quare, non neglectis, dum e re est, euacuantibus, in roborantium, atque potissimum corticis peruviani, congruo usu solo, sanationis spes collocanda est. Neque enim a chirurgia, sed a therapia interna, ea, qua diximus ratione, oculorum sanitatem expectandam esse, falsi quoque sunt scriptores, citati ad §. IV. n. A. a.

Putridam ophthalmiam posse chirurgicis auxiliis profligari, quis statuet? Nisi enim morbo putrido euacuantibus congruis, emeto-catharticus, et deinde antisepticis convenientibus prospexerit medicus, chirurgus sane opem ferre non poterit, nisi forte

ve-

vesicatoria vtilitatem praestent, quorum autem iuuamen ad morbum putridum maxime pertineret.

Gastricam et catarrhoso-biliosam ophthalmiam euacuantibus, emeto-catharticus, oppugnandam esse, quis in dubium vocauerit? Et quibusnam, quaeso, chirurgicis auxiliis haec profligari poterit?

§. XIII.

In plethorica quidem ophthalmia, chirurgum, fateor, non minorem curationis partem suscipere, quam medicum, siquidem phlebotomia, aut scarificatio, non raro repetita, et hirudinum ad regionem oculorum, aut ani, in suppressis haemorrhoidibus et catameniiis, adplicatio, non minimum tollendae ophthalmiae auxilium sistunt, dum medicus purgantia antiphlogistica, haemorrhoidum et catameniorum fluxum, dum opus est, restituentia, indeque purgantia aloetica, pediluua, rel. commendat.

§. XIV.

Accedo ad ophthalmiam purulentam atque vlcerosam, quae medici aequae, ac chirurgi, exposcit auxilium, dum certe praeter externa, maturantia, et puri exitum conciliantia, manumque ideo chirurgi, purgantia etiam antiphlogistica, reuellentia, et antiseptica, corrigenantia et obuoluentia, indicantur. Quin ut caueatur, in reliquis ophthalmiae speciebus, ne ophthalmia purulenta succedat, secundaria, necesse est; quod quidem per medicorum auxilium feliciter vltimum obtinetur, quam per chirurgi operam, dum interna potius reliquis prospiciunt, ne oculi suppuratio succedat.

Ophthalmiam catarrhalem indicare quidem auxilia externa, quorsum forte phlebotomia, hirudinum ad oculos et tempora adplicatio, scarificatio, vesicatoriorum ad nucham atque aures, temporaue, et corticis mezerei ad brachia, adplicatio, et deinde

de etiam errhina, apophlegmatizonta, masticatoria, in dubium vocari nequit: nihilominus medicum etiam, acrimoniam feri corrigentibus atque inuoluentibus, feri adfluxum ab oculis reuellentibus, et per congruas vias euacuantibus, vt purgantibus aluum, diureticis, diapnoicis, et deinde roborantibus, opem ferre debere, quis neget? Plus sane vtilitatis praestabit hisce medicus, quam chirurgus, topica repellentia atque acria ad oculos applicaturus, quae non, nisi caussis maximam partem sublatis, in morbo adulto, habituali, vrgente adfluxu ob relaxationem summam, et in minus sensibilibus subiectis, admitti possunt.

§. XV.

Ophthalmiam scorbuticam debellandam esse remediis internis, antiscorbuticis, neminem spero esse negaturum, eo minus, quum profecto externa, conuenientia aliis ophthalmiis, vt phlebotomiae, vesicatoria, hic adhiberi nequeunt, quoniam resolutionem humorum, hinc scorbutum, indeque ophthalmiam scorbuticam, adauctura essent. Quare ab internis solum ophthalmiae speranda curatio est, vel alimentis, vel medicamentis, antiscorbuticis.

Ophthalmiam scabiosam admittere quidem, dum e re est, phlebotomiam, cucurbitularumue, hirudinumue, adplicationem, aut magis vesicatoria, exutoriumue ad brachia, concedam, nihilominus neque integre ophthalmia tolli solet, neque aegrotus tutus esse potest, quin facile inflammatio in alia parte succedat. Quare opus est, vt medicus reditum scabiei curet, non per vsum solum sulphuris florum et camphorae, sed per scabiei etiam inoculationem, vsu vestitus scabiosi ad aegrotum delati inductam.

§. XVI.

§. XVI.

Ophthalmiam veneream, atque eius quidem speciem alteram, quae gonorrhoeae suppressae debetur, quod attinet, ea solum per gonorrhoeam veneream restitutam sanatur. Igitur praeter inoculationem miasmatis venerei, ad vrethram denuo delati ope materiã gonorrhoeicã imbutorum corporum, requirit nihilominus deriuantia, purgantia mercurialia.

Altera autem venereae speciei varietas curationem potissimum mercurialem, hinc medici opem, efflagitat. Quamvis enim salus per inunctionem mercurialem aliquando obtineri queat, tutius tamen et perfectius malum venereum tollitur interno mercurialium congruorum vsu, non neglectis, fetaceo ad nucham, decoctis demulcentibus, et interpositis purgantibus, potissimum vbi ptyalismi vestigia occurrunt, qui tamen lenis in curanda ophthalmia venerea tolerari potest.

§. XVII.

Ophthalmia ab arthritide suppressa indicat arthritidis potissimum restitutionem. Itaque praeter phlebotomiam, aut scarificationem, hirudinumue vsu, desiderat vesicatoriorum, sinapismorum, aut moxae, ad partes, arthritide plerumque adfectas, adplicationem, pediluua, enemata, purgantia antiphlogistica, et quae deinde arthritidis ipsa requirit, regimen, alimenta, medicamenta.

Ophthalmiae, excrescentia varia insigni, tollendae chirurgum quidem maximam impendere operam debere, fateor; nihilominus medicus etiam per deriuantia, resoluentia, roborantia, suam conferre symbolum debet.

§. XVIII.



§. XVIII.

Ophthalmiae scrophulosae sanandae certe chirurgus non sufficiet, nisi per medici consilium debita diaeta et remedia, quae contra scrophulas celebrantur, adhibentur.

Simili quoque ratione chirurgus vix sufficiet sanandae ophthalmiae canerosae, nisi et medicus opem tulerit internis: quin tamen et vterque forte spe sanationis frustrabitur pro! dolor.

§. XIX.

Sublata, ratione dicta, causa ophthalmiae materiali, necesse est, nisi formalis simul cedat, medentes operam dent, vt haec tollatur. Quare nisi phlebotomiae, scarificationes, hirudines, vesicatoria, exutorium, pediluua, enemata, purgantia, diuretica, diapnoica, vt e re erat, hisce vti, formalem causam sustulerint, ad repercutientia, fomentationes, resoluentia, topica adstringentia, atque interna, resoluentia, reuellentia et tonica, deueniendum est. Sponte autem patet, causas remotas tum quae causam materialem, tum formalem, fouent, esse remouendas: et deinde his remotis, cum causa materiali aequae, ac formali, operam esse dandam, ne recidua fiat, quod tonicis tum internis, tum externis, et medicus et chirurgus obtinebunt; vbique manus amicas sibi inuicem in aegrotantium salutem porrecturi.



on
ia,
h.
in
e-
vt
di-
ia,
af-
ia,
et
o-
lle
e-
od
us
m

02 H 791

ULB Halle 3
003 099 296


VOTR





M. 21775

DE
NECESSARIA
OPHTHALMIAE
THERAPIA INTERNA.

C O
GRATIOSAE F
IN REGIA
P R
D. PHIL. ADC
FACULTATIS MEDIC
GRADV DOC
SOLLEMNI
A. D. XXVII. M.
P V B L I C
M E I N H A R
EMDA F

HALAE
LITTERIS IOA

